

næ Synodi Sessione edici et promulgari, omni debita reverentia, instamus et requirimus.

Tunc Secretarius diotas constitutiones promulgat. His peractis, Promotores à Secretariis requirunt, ut heri, confectionem rerum in hac Sessione gestarum Instrumenti, et Pontifex surgens, benedicit omnibus solemniter, ac omnes discedunt.

SESSIO TERTIA et ULTIMA.

Die tertia, conventione facta in Ecclesia, unus pariter ex Canonicis missam celebrat *de Sanctissima Trinitate*, addicta collecta in gratiarum actionem; Episcopus assistat indutus Stola et Pluviali albi coloris. Missa absoluta, rubea accipit indumenta, assistantibus sibi Diacono et Subdiacono paratis, et genuflexus in faldistorio, incipit, schola prosequente, Antiphonam:

Exaudi, etc.

Cum Psalmo:

Salvum me fac, etc.

Ut supra in primo die. Quibus finitis Pontifex, surgit et stans versus ad altare dicit:

OREMUS.

Ad te, Domine, interni clamoris vocibus proclamantes, unanimiter postulamus: ut respectu tuæ gratiæ solidati, præcones veritatis efficiamur intrepidi, tuumque valeamus verbum cum omni fiducia loqui. Per Dominum.... R. Amen.

OREMUS.

Omnipotens, sempiterna Deus, qui sacro verbi tui oraculo promisisti, ubi duo, vel tres in nomine tuo congregati essent, te medium fore: adesto cætui nostro propitius, et cor nostrum illumina misericors, ut à bono misericordiæ tuæ nullatenus aberremus, sed rectum justitiæ tuæ tramestem in omnibus teneamus. Per Dominum.... R. Amen.

OREMUS.

Et ministri dicunt:

Flectamus genua.

R. Levate.